



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Tycho Episc. 16. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. TYCHO EPISC, 16. Iunii.

Damus Euclionibus mancipiis pecuniae rei augendae magistrum doctoremque gratissimae artis, qua granaria frumento stipentur, numusque in arca crescat. TYCHO is est, aetate puer, sed cano sensu, avari patris filius, multo tamen peritior pecuniariae venationis. quod vel hinc intelligas. Pater oneratum panibus in forum miserat: puer indignatus unciarum quantum iis venditis rediturum, e merce stipem facit, eamque in obvios pauperes effundit. Patri as reposcenti artificium suum aperit; panes apud Christum in foenore positos, & quidem centuplicato. eam in rem se syngrapham accepisse. Pater nulli rei praeterquam oculis suis crediturus, puerilis fidei experimentum in horreis quaesivit: & ecce tibi quae pridie vacuefecerat, importatum divinitus frumentum aegre ceperunt. Eadem facilitate cellas replevit. Aridum vitis surculum, & pridem exsuccum humi depansit, neque vitam illi modo, & germinandi vim, sed perpetui etiam gloriae miraculi contulit. Vnus enim ille palmes, quo die anniversaria TYCHONIS memoria peragitur, sub initium rei divinae viventes uvae ostentabat, quae ante sacrificium finitum ad maturitatem percoquerentur, pra-

præcocem suo satori vindemiam præbituræ. Quid ad hæc avari? In scholâ Pluti negant recepta esse paradoxa Christi. *Ex Menais.*

SS. QVIRICVS & IVLITTA MM.

16. Iunii.

Datur optio; exempla Christiana fortitudinis à trienni puero, an feminâ malis petere: hujus sexus, illius ætas convitium facient ignaviæ tuæ, si detrectas vel desperas sequi hos duces; & audies sanè quod olim Augustinus: *An non potes quod iste & ista?* Exercebat Tari quæstionem de Christianis Alexander. IVLITTA QVIRICVM filiolum ultro ad tribunal non duxit, sed tulit, puto ne unicum Abrahæ in hanc rem facinus ostendi generi humano posset. Alexander in disparem prædam non eodem affectu grassatus, matrem atrocissimè, filium blandissimè excepit, haud scias in leoninâ an vulpinâ pelle nequior. Certè QVIRICVS illius receptus sinu, appetitus osculis, inescatus promissis, nullum, neque plorandi, neque quiritandi finem fecit; cùm IVLITTA contrâ pendens in equuleo, & taureis conscissa, gemitû nullû ederet, ut propriâ amborum confessione constaret, utrius conditio esset iniquior. Consumptis lacrymis, imbellia etiam arma expeditit triennis heros, & nuper natos